
Siracoviense Gymnasium

Oratio in inauguratione gymnasii Opalinioni noviter Siracoviae erecti.



ORATIO

IN INAUGURATIONE GYMNASII

OPALINIANI,

noviter

SIRACOVIÆ

erecti.



LESNÆ

Ex Officina DANIELIS VETTERI.

ANNO M. DC. L.

h.

Clarissimo Doctissimo ac Eruditissimo Dnō Dno
Martino Radyminski Art. Magro & Philo.
Doctori. Cursus Olad in alma Academia
Crac. Professori. Collego maiori. Praeceptori
Patrono et Benefactori amplissimo.
M. Joannes Misalski dat et offert
Humillime



QVod fæliciter eveniat rei literariæ, ILLVSTRISSIME PALATINE, cæteriq́; Auditores, die Mensis hujus auspicato, qui memoriæ posterûm, imo æternitati, consecrari meruit, inclyti hujus Gymnasij fælici omine, fælicioribus auspicijs, fundamēta ponimus. Puto me rectè & cum ratione dixisse, Nos die hodierno Lycæi hujus OPALINIANI fundamenta ponere potiꝰ, quam posuisse. Non enim illa intelligo, quæ ex compage & strue lapidū Artificis manu, Architecti mente & dispositione, collocari solent; non illa, quibus hi muti parietes & superstructio incumbit; non denique illa, quibus tota ædificij machina, eleganti partium symmetriâ, aptô conclavium ordine, laterum angulorumq́ue

 invi-

invicem ſibi correſpondentium egregiâ dimenſione (ita ut omnia ex ſe potius nata, quàm manu facta videantur) impoſita eſt; non, inquam, hæc ipſa intelligo: Sed illa potius intelligi volo, quibus Literarum & bonarum Artiū velut ædificium quoddam & ſtructura (quæ ut in ingentem aſſurgat altitudinem, non tantùm meum, ſed & omnium Veſtrûm votum eſt) in annos futuros promoveatur & ſuſtentetur: illa dico, quæ Eccleſiæ fulcra aliquando & columnas dent, quibus vel fulciatur, vel innitatur: illa quæ ex animis Civium, ingenuis Artibus velut muro communitis, huic Regno firmamentum & robur, imò ipſa propugnacula (uti quidem ſpero & auguror) olim parent & erigant: illa quibus ipſum honeſtum, ipſáque virtus, ſuperſtruatur, quod unicum vocavit clarus Vates fundamentum, dicens

— — — — — — — *HIC MVRVS AHENEVS ESTO*
NIL CONSCIRE SIBI, NVLLA PALLESCERE CVLPA.

Illa demum intelligo, quæ vis humana

non

non ſubruat, procella fortunæ non evertat, caſus non dejiciat, neceſſitas nō obruat, nec ipſum tempus, (licet illud rerum edax vocaverit antiqvitas) aut ſuperet unquam, aut conſumat. Quamobrem cùm hic dies publicæ lætitiæ poſcat, ut aliquid de inſtituto, deq́; ordine hujus Gymnaſij dicamus, ejusq́ue velut Encænia celebremus, dicā aliquid Auditores, & primò finem ſcopumq́; hujus inſtituti pertexam; dein commoda exinde in publicum emanatura, brevibus recenſebo, ſimulq́; ob oculos ponam, qvem uſum quemque fructum ſecum trahat & adferat.

At Tu Magnanime Illustrissimeq; Heros, cujus mentē ſublimior illa Eruditio velut inſedit; qui nihil unquam animo humile, nihil factu indignū, ſuſcipis, tractas, abſolvis; qui Mentem magnarum rerum capacem Scientiis rerum non tinctā, ſed imbutam geris; qui deniq; Gymnaſij hujus ipſe autor es, ipſe & origo, & finis; paululū rogo animum adverte, dū Opus

HOC TUUM ſupremi Numinis honori, & mortalium utilitati conſecratū, aliqvantùm uberiùs, non tamen ultra veri & honeſti metas, celebro.

Vos quoq; rogo Auditores adeſte, & benignas aures dicenti commodate.

OMnem vim in Animo ſitam eſſe; Hominem niſi qvâ animum, verè hominem dici; ejuſq́; imperio, Corporis duntaxat ſervitio, uti; priſca prodidit & docuit Sapientia. Quicquid in hac creatura, quam Hominē vocamus, illuſtre, quicquid magnum, quicquid divinum ad RATIONEM quâ imago Dei ſumus, referri: Corporis bona, tanquam externa, fluxa, caduca, evanida: Sola animi, id eſt, interna, æterna eſſe! Per Eum nos ad alta aſpirare & ſperare; per Eum Deo frui, per Eum denique veram aſſeqvi fælicitatem tota nobis inſtillavit Antiqvitas, ipſa edocuit Ratio, ſacræ ac profanæ Literæ monſtraverunt. Qvod cùm ita ſe habeat,

beat, Auditores, næ illi mihi rem præcla-
ram agere videntur, qui ad culturam &
inſtitutionem animorum, omnem cona-
tum, omneſque vires conferunt: qui hoc
ipſum agunt, ut nobiliſſimam Hominis
partem, vel totum potiùs, artib. forment,
diſciplinis poliant, rectâ inſtitutione per-
ficiant. Eô enim pacto DEUM mihi vi-
dentur imitari, qui cùm Hominem ex vi-
li terræ maſſa efformaſſet, inſuper Men-
tem & ſpiritū infudit; ſic & iſti, rude hoc
& informe lutum, per bonas artes in Ho-
minis ſpeciem velut efformāt, infuſis in-
ſuper Scientiis animant, ac ut Homo ve-
rè homo ſit efficiunt. Quid enim is in-
cultus, & rectæ rationis officiô deſtitutus,
ab ipſo ex quo formatus eſt Limo, vel à
Brutis, vel ab ipſis (quos olim elegāter in
Orphæo & Amphione fabellis involuta
depinxit & adornavit antiquitas) differt
Lapidibus? Quanti Vita ejus eſt, niſi vi-
vere, id eſt ſapere, didicerit? Quid ei bo-
na fortunæ corporiſq; conferunt, ſi Ani-
mo de-

mo deſtituatur? Quid inutili pondere terram premit, ſi cauſas vivendi neſcit? Quid eidem terræ ſuæ affixꝰ hæret, ſi mēte non aſſurgit, nec ad originē ſui tendit? Quid denique, proh Deus immortalis, in terris hominem agit, ſi hoc nomine indignus ſit? Certè certè fatendum eſt, nihil Hominem ſine bona mente, nihil in homine præter Animum, nihil hunc ſine Cultura atque inſtitutione eſſe. Quamobrem ad ſupremū gloriæ culmen aſcendiſſe, maximamq; promeruiſſe laudem, videri poſſunt illi, qui ad hunc finē Scholas, Gymnaſia, Academias erexerūt, & illîc ingenuam Indolem matureſcere, Mentem excoli, Mores formari, Virtutes inſtillari, voluerunt. Probè enim intellexerunt talem quemque poſt futurū, qualis eſſe à primis annis cœpiſſet: facileque Indolem areſcere, dehinc ſterileſcere, niſi bonarum Artium humore irrigetur. Tales poſſe redolere mores, qualem primò odorem imbiberint. Nihil facilius flecti,

quàm

quàm primam ætatem, quæ ut planta, ſi longo tempore indureſcat, non facilè pòſt ramos patitur inclinari. Sed hæc omnia rectæ rationi congruere, neminem puto Veſtrûm eſſe, qui non agnoſcat & fateatur. Ego certè ita mecum reputo: PER DISCIPLINAS HOMINEM FORMARI, ampliùs dicam, HOMINEM FIERI: Si hæ abſint, nihil à brutis differre, imò illas ipſas ſtupore & feritate ſuperare.

Patere igitur ILLUSTRISSIME PRINCEPS (quem non tituli Principem, ſed Virtus, & integritas facit,) patere me, inquam, paucis Te alloqui! Cùm ita à DEO comparatum ſit, ut ij maximè Literis faveant qui illis imbuti ſunt, adverto Mentem Tuam, tantâ Rerum Scientiâ, tam variâ Lectione, tantô denique Studiorum apparatu inſtructam, eò maximè ſummâque animi contentione ferri, quô eadem in aliis excitares, foveres, promoveres. Nemo unquam bonarum artium rudis ad eas colendas & in aliis producendas, ani-

mum adjecit. Nemo humaniores diſci-
plinas, expers ipſe humanitatis, fovit.
Nemo homines, ut ſic dicam, creavit,
ipſe hominis titulo indignus. At in Te,
in quo Virtus & Eruditio fælici vinculo
coaluerunt, quid mirum ſi Muſæ domi-
cilium fixerint? quid mirum, ſi tam hu-
maniter admiſſæ & exceptæ, in dies ma-
jora incrementa capiant? Certè cùm
Ipſe earũ familiaritate & conſortio gau-
deas, facis ut & alii exemplo Tuo gau-
deant. Et hinc prima Gymnaſij iſtius
fluxêre principia atque inſtitutio. Con-
cepiſti nempe capaci omniũ rerum men-
te, quantum Eccleſiæ, quantum Reipubli-
cæ interſit, ut Juventus à primis annis
honeſtæ educationi incumbat. Hæ ita-
que fuerunt primæ (uti quidem conjicere
poſſum) cauſæ, quæ Te ad jacienda hujus
Lycæi fundamenta impulerunt; quæ, ut
nec ſumptui, nec labori parceres, omnes
denique huic rei conficiendæ modos ad-
hiberes, effecerunt. Libet lubetque, Au-

ditores,

ditores, paululùm hunc campum percurrere, & quid inde in publicum promanare ſoleat, paucis memorare. Qui Pietatem reliquarum Virtutum fundamentum dixerunt, ratione dixiſſe mihi quidem videntur. Sine Deo enim nihil tutò ſuſcipi, nihil agi; aut ſi quid agitur in irritum cadere, nemo eſt qui ambigat. Si ſubrueris hoc fulcrum, ruunt cætera, & reliquam ruinam ſecum trahunt. Atqui Pietas cùm in Deum, in Patriam, in Parentes, dicatur, quô pacto, quæſo, ſine Educationis benè diſpoſitæ & ordinatæ fundamento, vel ſtabit, vel perennabit? Tollite hanc, Educationem dico & Diſciplinam, nullas unquam virtutum machinas tutò ſuperſtruetis. Atqui ea, prò Deum immortalē, unde melius hauriri, ubi ſecurius conſervari, quàm in his, de quibus loquimur; Scholis nempe ſub manu & oculis Præceptorum, poteſt? Qui eos, quos ſibi habent habebuntque commendatos, ad Pietatem & cæterarum

Virtu-

Virtutum cultum, veluti manuducet; qui huic precipuè intenti erunt studio, ut Musarum alumni ad regulã recti & honesti vivant; ut ea rudimenta, atq; dein incrementa, non tantùm Literarum, sed Virtutum (idque primo loco & ordine) capiant, quæ illis in reliquam vitam utilia sunt. Qui sic bonas Artes tractabunt, ut tamen iis qui eas didicerint, non solùm non prodesse sine virtutis adminiculo, sed etiam obesse, credant. Qui actiones suas, curasq́; omnes, ad unum Honesti scopum dirigent, nihilq́; bonum, nihil honestum, nisi quod cum virtute conjunctum sit, instillabunt. Qui deniq; Honestum utili, Virtutem honori, rectam Conscientiam commodis quibusq́; præferre; immotum Animi robur fortunæ illecebris opponere, Juventuti inculcabant. Et hæc quidem nostri Gymnasii prima erit institutio, primꝰ finis scopusq́ue: hoc inprimis agemus, ut non tantùm Artium Schola, sed Virtutum officina sit. Quicquid hîc

incipien-

incipiendum erit, à Deo initium ſumet, hunc omnium bonorum autorem uti agnoſcimus, ita cum eo potiꝰ omnia ignorare, quàm ſine illo aliquid ſcire, cupiemus. Et quemadmodum veterum Philoſophorum, qui moralem tractârunt diſciplinam, eò omnia collimaſſe, & in hoc præcepto totam fundaſſe ſcientiā, compertum ſit, ut ſequaces eorum, Deum ſequerentur; ita noſtrarum Scholarū hoc erit propoſitum, hic finis. Sequemur Deum, & ut cæteri ſequantur, vel exemplo præibimus, vel hortatu compellemus. Nemo hîc, ut opinor, ad virtutem tardô enitetur molimine. Sive Aulam Tuam, Illustrissime Domine, ejuſque actiones introſpexerit, habebit unde morum Exempla ſumat. Sive Religioſi Ordinis vitam excutiat, nihil inde niſi Pietatē hauriet. Sive ſacros hujus Templi Myſtas intueatur, ſtimulum ad honeſta quæque habebit. Sive deniq; Civium mores conſideret, nihil in eis vel ſolutum

Vel corruptum reperiet. Quæ cum ita ſe habeant, Auditores, ſufficient iſta, quæ diximus, ad demonſtrandum hujus inſtituti, & quidem præcipuum ſcopum.

Alter ab eo ſecundusq́; breviter excutiendus eſt, qui in exacto ſtudiorum ordine conſiſtit. Non malè videntur illi mihi calculum poſuiſſe, atq; rationes iniviſſe, qui ORDINEM ANIMAM RERUM dixerunt. Vti enim omne corpus ſine anima nec agere quidquam, multô minus rectè agere, poteſt, ſed inutile pondus terræ duntaxat ſuæ adfixum hæret, corruptioniq́; obnoxium eſt: ita Ordo, animam quandam, & mentem rebus inſpirat, atq́; ut omnia rectè ſuſcipiantur, tractentur, abſolvantur denique, ſolus facit. Vnde & nomē, teſte Scaligero, accepit, ut Ordo, quaſi Ὅρον δῶ, h.e. *FINES, SEV METAS, ET LIMITES, ACTIONIBVS DO,* dicatur. Ὅρος ſiquidem Græcis, in genere quidem, & communiter, terminum & limitem ſignificat; Ariſtoteles autem pro fine, ſeu meta, & ſcopo; Galenus denique

pro Mo-

pro Modo atq; regula, ſumit. Quàm appoſitè omnia! Solus quippe Ordo actionibus & metas ſcopoſq; præfigit, & mediis terminos limiteſq; (quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum) circumſcribit, & mediis illis utendi modos certos, ceu non aberrantes normas ac regulas, oſtendit. Hæc igitur rerum anima, Ordo, ſi uſquam, certè in humanioribus Literis obſervari, debet: ut nempe id quod docetur & diſcitur, ordinatè doceatur & diſcatur. Tenella nimirum ætas facilem aliquam requirit manuductionem, methodumq; brevẽ, quâ omnia & citò influant, ac velut ſeipſa inſinuent: non verò, uti ſæpius fit, violentâ intruſione, ingenium obruant, memoriamque obtundant.

Artem esse longam, Vitam brevem, non abſonè dixerunt ævo jã ſuô antiqui; & quid nobis demum noſtro hôc, in tantùm abbreviato, dicendum erit? Apoſtolus autem ſapere nos ad ſobrietatem jubet; eoque ſapere plus quàm ſatis eſt, in-

temperantiæ genus esse ostendit. Et quia vita nostra tota actuosa sit, esseq; debeat, quæ insania, Divi boni, agendi tempora, discendo occupare? dum Verba sine Rebus tot per annos, summo cum ingeniorum tædiô discuntur: dum Pueri ætatem integram in Grammaticorum sordibus consumunt; dum errorem in verbulo aliquo commisisse, ingenuæ & ad altiora natæ indoli, nefas morte piandum, censetur. Perstrepunt interim Scholæ plagis ac verberibus, in quibus dominatur.

PRÆFECTURA, SICULA NON MITIOR AULA.

Cognitiones peraguntur, tanquã res capitis ageretur, aut famæ, si fortè puer, in reddendo, uti vocant, penso, titubaverit: quinimò si vocabulum aliter qvàm illîc positum est, transposuerit. Scholam olim, & nunc LUDUM LITERARIUM vocatũ esse constat; nempe quòd quicquid hîc agitur, Ludus esse debeat honestus, & ipsâ amœnitate commendatus. At verò hic ludus jam pridem carnificina factus est;

dum

dum nullo ordine ingentia volumina, per obſcuris Grammaticorum referta regulis (quas pueri nec capiunt, nec retinent) ediſcenda ſeverè imponuntur. Sed mentem, rogo Vos Auditores, advertite, & quam lepidum illud viſuq́; dignum ſit conſiderate; cùm puellus memoriter, cui rei aliquot dies impendit, pſittaci inſtar Voces reddere cogitur, quas ne intelligit quidem! Philoſophorum terminos, aut Chryſippi nodos, dixeris, vel ipſa illa obſcura Vocabula, quibus ars Grammatica involvitur, ut ipſâ difficultate inacceſſa, admirabilior diviniorq́;, uti exiſtimant, reddatur. In malam crucem iſti abeant, qui cùm tantâ ingeniorū cruce rem pauci momenti tractant! quaſi reliquæ ſcientiæ Vitæ toti tantoperè utiles, imò neceſſariæ, ſine perfectiſſima unius linguæ notitia, addiſci nō poſſint. Inde fit, ut ſint qui decem, qui & amplius annos Grammaticæ, id eſt Verbis, impendant, cùm interim ſummâ cū jactura temporis (quod

nec venditur, nec emitur) Res ipsæ negligantur: hoc est, omnia potiùs, quàm quæ ad rem faciunt, agantur. Verumenim verò omnia hæc in nostro, quod Deo duce & auspice fundatur, Lycéo, secus fient. Ita hîc Verba ingenui addiscent Juvenes, ut Verbis Res conjungant. Ita usui Linguæ universalis assvescent, ut usus ejus ad usū Scientiarum conferat. Ita loqui docebuntur; ut & facere discant. Verba ad actionem, præceptaq́; ad usum perpetuò dirigemus: nec Elegantias dictionū floresq́; Actioni, vel Scientias rerum Praxi, antehabebimus. Quod ut Vobis meliùs constet, rem paucis explicabo.

Gymnasium hoc in tres partes & Classes, seu Scholas, divisum est, eritque. Prima quidem, rudimenta dabit, ubi pueri legere scribereq́; addiscent, ita quidem UT QUÆ SCRIPSERINT, LEGANT, ET QUÆ LEGERINT, MEMORIÆ MANDENT. Sic unâ eademque operâ tria simul comprehendent. Addentur DECLINATIONES CONJUGATIONESQUE primi, secundi, tertii,

quarti

quarti ordinis, RERUM denique APPELLATIONES, quæ Vocabula dicimus, ita diſpoſita, ut quædam ad primam, quædã ad ſecundam, & ſic deinceps Declinationes Conjugationeſq; referantur. Altera ab hac ſuperior paulô Claſſiis, PRÆCEPTA GRAMMATICA INSTILLABIT; ITA BREVITER, UT NIHIL BREVIUS, ITA DILUCIDE, UT NIHIL DILUCIDIUS, ITA ORDINATE UT NIHIL ORDINATIUS, POSSIT. Omnia illa reſcindẽtur & amputabuntur, quæ ingeniũ puerile obruant potiꝰ, quam inſtruant, talia verò proponẽtur, & ita accommodata quæ captui vireſcentis illius & amœnæ ætatis cũ quadam ſvavitate ac lepore ſeſe inſinuent. His adjicietur VESTIBULUM LINGUARUM Clariſ. Viri Joannis Amos Comenij, uti & quotidianæ de Sermone vernaculo in latinum tranſpoſitiones & exercitia, ut puer nõ magis ſcriptô quàm voce, non minùs hâc quàm illô, efferre eadem poſſit. Deniq; SINTAXIS IN CARTAS ALIQUOT CONTRACTA & quinquaginta circiter breviſſimis regulis comprehenſa: quã ſubſequentur Proſodiæ præcepta, ad formandum in pro-

pronunciando & dicendo (qui nobis Polonis ferme semper erroneus est) Accentu, non minùs brevia, quàm distincta & perspicua, prælegentur. Vbique verò STYLI EXERCITIVM unâ cum elegantibus summorum Virorum colloquiis & phrasib9 modisq; loquendi ab iisdem collectis & concinnatis, quæ in se Rerum notitiam, & breves aliquando Historiolas, Exemplaque, continent, comitabitur. Verbo dicam, Auditores, Secunda hæc Classis correctè latinô idiomate loqui & scribere Juventutē docebit, atque efficiet, ut sine erroribus mendisq; Solecismorū & Barbarismorum ad superiorē Classem transmittatur. Attamen non ita verbis, uti jam dixi, immorabimur, ut vel ideò Res negligamus. Itaque certis & statutis horis quidam Musicam, omnes Arithmeticam, docebuntur: illa plebejæ conditionis adolescentibus, iisque aptis duntaxat & capacibus, hæc verò cunctis promiscuè explicabitur. Insuper quædam elementa de Temporis

(ut pote

(utpōte Anni, Menſium, Dierum, Horarum, Calendarijq́;)diviſione & ratione: denique Feſtis diebꝰ, ante ſacrorum tempus, brevis Evangelica Hiſtoria unâ cum præceptis Chriſtianæ Catholicæq; fidei: tum & Porta Aurea, introducens in ſacrā Hiſtoriarum Eccleſiaſticarū Baſilicam, atq; alia quædam, quæ partim Pietati, partim informandæ & ad altiora præparandæ Menti facient, his ante dictis addentur & inculcabuntur. Sed quid ego hæc tàm accuratè pertexo? Reliqua dabit Tabula propoſita, & in publicū emiſſa, quæ ordinem ſtudiorum in his Claſſibus tractandorum, unicuique producet & explicabit. Progrediendum itaq; eſt, Auditores, ne & prolixitas in dicēdo, & exacta diligentia in enumerando, nauſeam pariant, contrahendaq́; orationis vela, modò quid ſuprēa ordine, & tertia numerô Claſſis promittat, paucis expoſuero. Hæc horis antemeridianis præcepta Eloquentiæ, cum ſtyli continuô qvotidianoq́; ex-

ercitio (quod quidem primò in Epiſtolis, deinde Chrijs, deniq; Orationib9 verſabitur) dabit: ut nempe cùm in inferiori Claſſe correctè, in ſuperiori eleganter, loqui, pronuntiare, ſcribere, condiſcant. Tempore verò horisq́; pomeridianis brevem *Horatij Turſellini ab Orbe condito hiſtoriam*, ſeu Epitomen, explicabit, & velut in carta Geographica Orbem univerſum, ſic in hâc Rerũ geſtarum ſeriem & notitiam exhibebit. Quo de Authore, deq́; ejus perſpicua brevitate & elegantia, cùm ad eum, Vobis ſiſtendum, venerimus, paucis dicendum erit. Non enim ullum alium reperiri cēſeo, qui plura breviori compendiô oculis mentibusq́; hominum expoſuerit.

Nunc verò ad alia progrediamur, atq; ſimul ad exoptatum Orationis portũ, panſis ut ajunt velis, properemus. Finitis Eloquentiæ præceptis, brevem & perſpicuam captuiq́; accommodatam DIALECTICÆ artem, atque poſt ſuccinctum (unâ cum demonſtratione in utroque globo

ejusq́;

ejusq; circulis) de Vniverſi, id eſt Mundi, ſeu MACROCOSMI ſtructura tractatū, quô à ſpatiis illis extra Cœlum immenſis (imaginaria vocant) uſq; ad Terræ centrum, Auditorem deducemus, breviſſimè & per Quæſtiunculas concinnatum, atque alium de MICROCOSMI, i. e. Hominis ex corpore & anima compoſita ſtructura, eidē additum. Deniq; de RATIONE TEMPORŪ paulò quàm in inferiori Schola, fuſius explicabimus, & veluti fontes Rerum naturæ, uberius poſt hauriendos aperiemus. Præſtabit idem JANUA LINGVARUM reſerata Clar. (qvem ante nominavi) Comenij, quam eidem fini Juventuti enucleabimus. Qvid enim ſine hâc ipſa Hominis ſcientia eſt? dum ignorat, quæ & ſupra & infra illum ſunt? Dum in hoc Orbe veluti peregrinus & omnium ignar9 verſatur, Rerumq; cunctarum cauſas neſcit? Dabunt hæc, uti dixi, brevem, & tamen pro brevitate ſatis copioſam Rerum notitiā. Quibus peractis, & probè memoriæ man-

datis

datis impressisque, (vix enim quoad tractationem, aliquot mensium occupabũt spatium) succincta & eleganter cõcinnata Ethicæ Politicæq; præcepta, idq; horis matutinis. Justini vero de quatuor Imperiis, & post hunc absolutum L. Flori Historiæ Romanæ Epitomē, pomeridianis explicabim9: ita tamen circũscripto tempore, & adhibitâ diligentiâ, ut his omnibus vix duo integri anni destinẽtur: Tertius vero aliquid Historiæ Polonæ (quam elegans & succinctum Joachimi Pastorij, sub nomine flori Polonici, compendium adfert) unáq; de constitutione Reipublicæ nostræ, fundamentisq; patrij juris, inculcabit: nunqvam tamen exercitiis styli omissis. Quæ ad statum Regni huj9 ita referentur & accõmodabuntur, ut hinc Juventus Polona quædam semina concipiat, exercẽdæ pôst in publico, cum eximia laude & Patriæ emolumẽto, Eloquentiæ. Historiã perpetuò comitabitur Chrononologia, & locorum in mappis Geogra-

phicis

phicis demonſtratio; ut quid, quôq; tem-
pore, & quibus in locis geſtum ſit, pro-
bè intelligatur. Cùm verò non ſatis ſit Eloquētiæ Hiſtoriæq; ſtudiis immorari, & cùm in Poëſi, præcipua quoq; doctrinæ & eruditiōis vis lateat, certos horum prælectioni dies, & in his horas, deſtinabimꝰ, atq; Virgilio, Horatio, Claudiano, cæteriſq́;, nosmet ipſòs impendemus. Cæterùm hoc inſuper notari à vob. velim Auditores, triennium hoc ſtudiis Supremæ Claſſis noſtræ conſecratum, ita à nobis digeſtū iri, prout de curſu, uti vocant, Philoſophico in Academiis inaudiviſtis, nēpe ſingulis an̄is, alicubi etiā ſæpius, Logicā Phyſicamq́; & inchoari & continuari. Idē hìc fiet, Eloquentiæ præcepta, & quæ hæc ipſa ſubſeqvuntur, idq́; pro iis, qui bis in an̄o promovebuntur, quibusq́; annis & incipiēt, & cōtinuabūtur, reliquorū interim Tractatuū, uti & Hiſtoriæ, curſu nō intermiſſo. Quæ quidē omnia ne ſcriptione morā trahant, & inutiliter tēpus (cujus ir-

reparabilis jactura est) absumāt, typis ad usū huj9 Gymnasij mandabim9, atq; deinceps Librorū exemplaria inter musarū alumnos, certo, etsi levi, pretio partiemur cōmunicabimusq;. Quis n. dispendiū hîc, vel damnū, metuat? Interdū sumptus & opera nugis quisquiliisq; vulgandis insumuntur. Interdū Libri evertendis moribus, virtutiq; & pudori profligando, imprimūtur, distrahunturque. Quis vetabit tales in lucē quocunque pretio, emittere, qui rectæ institutioni faciūt? Sed me prolixa enumeratio, longius quàm sperabam abduxit. Abrumpo itaq; & vos ad Tabulā, quæ uberius docenda discēdaq; repræsentabit, brevique evulgabitur, remitto. Jam verò sufficiat dixisse, hanc nostri Lycéi quoad superiorē Scholā, triennalem occupationem futuram: in his tēpus teremus, his insudabim9. Nec quisquā miretur vel vitio vertat, tam multa pauco tempore nos tractare velle & pficere; tam multa polliceri. Si enim Ordo, horarumque

&

& temporis diſpoſitio, adſit, omnia expedita fore, certum eſt: & non quàm multa, mole, ſed quam multū pondere, addiſci poſſit, ſatagendum nobis erit. Hora una ſi rectè, ſi ordine, ſi diligenter, atq; cum ingenij & judicij adminiculo, impendatur, quantū ſcientiæ Menti humanæ (quæ velut Tabula raſa, tot Literas, tot Verba, tot Res in ſe recipit) infundere valeat nō ignoratis: quid dies, quid menſis, quid an̄us, quid bienniū, quid denique trienniū conferre, & quantum eandem augere poſſit, quæſo animis expēdite. Ardua omnia & aſpera ſuperat, & eluctatur, diligentia. Aditus ſæpè inacceſſus, acceſſus factus eſt conanti: in quibusque difficilibus ſi perrexeris, ipſa ſeſe explicabit difficultas. Montem aliquem præruptum mihi cogita! Si aſcendere dubitas, morâ & cunctatione tempus extrahis, difficultatem imaginatione auges: tenta, & facile ad cacumen eniteris. Quædam impoſſibilia facit ipſa dubitatio: Si experimentum cæ-

peris

peris, ipſum quod videbatur impoſſibile, ſuperabis. Hæc cùm ita ſe habeant, Auditores, quem & qualem, rogo, impetum, ad altiora quæq; ingenui Iuvenes inde capient, poſtqvā iſta de quibus diximus, brevi tempore percurrerint, & quaſi publicæ laudis jecerint fundamēta? Quem pigebit (ſumpto ex his claſſibus noſtris initio) ulterius progredi, clariſſima adire ſtudiorum emporia, frequentare celebres Orbis Academias, atq; in hoc ſtudio eò alacrius deſudare? Cuinam Artes deinceps, vel Hiſtoria Rerum quarumcunq;, ſordere poterunt? Cui tractatio Rerum erit vel moleſta, vel injucunda, quarum illi tàtum in hac bonarumi Literarum officina fecerimus guſtulum? Sed hîc alia etiam commoda præterire aut involvere ſilentio non licet. Quanta enim, prò Deus immortalis, mente prævideo, & veluti intueor! hinc Nobilium ſpes, parentumq́; ſolatia profluent, cùm proles eorum Virtutibus exculta, Literisq́; perpolita,

eos

eos aliquando Reipublicæ fructus dabit, & adferet, qui ei in perpetuum uſum ſint. Hinc plebejorum animæ & mentes, agreſtes exuent mores, & feritate depoſitâ, vitæq; ruſticæ ſqualore, ad altiora aſſurgent: cùm omnem à Terra, cui aſſveverunt, culturam ad Animum transferent, atq; ſtivæ & ligonis obliti, hoc Animi ſolum Artibus ſubigent, Literis excolent, ſemente ſalubrium præceptorum monitorumq́; conſerent, deniq; eos colligent fructus, qui eos per totum mortalis vitæ ſpatium paſcant, nutriant, ſuſtentent. Sed quid ego hæc minutiora perſequor? Quinimò hinc cultus & honor Omnipotentis Dei pullulabit, dum ex hac inſtitutione, quæ Pietatem cum Literis conjunget, Sacri myſtæ, Deoq́; devota capita, dum Verbi divini præcones, ſalutisq́; humanæ adminiſtri, tanquam è ſeminario quodam prodibunt! Hinc Patriæ Cives, hinc clara Reipublicæ aliquãdo nomina hinc Gymnaſii hujus Magiſtri & ſapien-

tiæ professores, hinc Vrbium Conscripti Patres, Cōsules, Prætores, Advocati, Consultoresq́;, cæteri deniq; profluent Magistratus. Hinc velut excrescent, qui tibi ILLUSTRISSIME PALATINE, tuæq; posteritati fidelem operam præstent, curandisq́; è re Tua negotiis feliciter impendantur. Breviter id quod est dicam. Hinc juventutis honesta educatio; ad Pietatem Virtutumq́; cultum directio & manuductio; in Literis artibusq́; per compendia quædam (cùm Ars longa, vita brevis sit, & agendi tempora discendo consumere inconsultum docti existiment) instructio, atq; ad altiores scientias & studia dispositio; hinc ad omnes præclaras Vitæ humanæ actiones veluti introductio: hinc pauperum & à fortuna repudiatorum ad veram eruditionem adspirantium, in reliqvum ævi sustentatio; hinc deniq; ornatus, commoda, celebritas, hujus, in qua loquor, Vrbis originem & incrementa capient. Quæ cùm excelsa, splendida & u-

traq; uti ajunt, manu amplectenda arripiendaq́; ſint, Auditores, cumq; ſeſe uſu ipſo cōmendent, eò tamen celeriùs promptiusq́;, quô magis ipſa hujus loci & Vrbis amænitas veræ Eruditionis amatores cultoresq́; invitat & allicit, amæniorаq́; ipſa ſtudia reddit. Hîc enim videre eſt ipſum quidem Oppidum ſatis cultis, pro conditione Civium, ædibus exornatum Forum eleganti dimēſione, & Curiâ quaquaverſus proportionatâ, abſolutaq́; cōmendatum. Hîc Templa & delubra inſigni magnificentiâ & ſplendore conſpicua. Præcipuò verò ponendum loco Regium planè opus, & plusquam privatis impenſis cenſendum, CÆNOBIUM nempe atq; Baſilica Fratrum minorum ſtrictioris obſervantiæ; quod magni nominis heros, Petrus de Bnin Opalenski Palatinus Poſnanienſis, Deo Divisq́; erexit & dicavit. Illud inquam opus exteris admirandum, omnibus ſuſpiciendum, quod ſolo intuitu & interno quodam motu in-

ſtin-

ſtinctuq; ipſam pietatem devotionemq; Mentibus hominum inſtillat. Quod ſi verò foris prodeas, & relaxando animo extra Vrbem deambulatiunculis temet occupes, protinus ſeſe offerent aprici colles, hinc inde nutantes ſylvæ, vernantes fluvioq; irrigui campi. Hîc victus facilitatem ſeſe ipſam pandentem, & Muſarum alumnis prono ſinu omnem copiam fundentem, reperies. Hîc reliqua commoda ſpectanda, & paſſim obvia, quæ conatum ſtudiumq; provocent, deprehendes. Inter quæ eminet (nec mirùm, cùm ſublimi Arcis loco ſita ſit) eminet inquam, non tam loci quàm fructûs & uſûs ſublimitate, inſignis Opalinsciana Bibliotheca, Scientiarum quædam officina, Artiumq; honeſtarum repoſitorium, ſive inſtrumentum. Bibliotheca, inquam, quæ divinarum doctarumq; Mentium lucubrationibus & operibus inſtructa, unicuiq; facilè ſuppeditabit eum Literarum apparatum, qui in reli-

quum

quum vitæ perneceſſarius ſit. Hanc Tu ILLUSTRISSIME PALATINE tantis impendiis inſtruxiſti, tot ornamentis decoraſti, tot voluminum centuriis impleſti, ut nihil ad excolendum animum omniſciamq́, Rerum notitiam deſiderari videatur. Hanc omnibus velut ſinum quendam pandis, in quem ſe tuti à fortunæ procellis recipiant, unde præcepta vitæ ſumant, unde in reliquos, uberrimos ſcientiæ latices diffundant. Recludis nempe hos fontes, ex quibus in humanam ſocietatem rivuli eruditionis promanent. Aperis hanc aurifodinam, divitis venæ veluti ubere humani intellectûs receptacula explentem, reconditasque eidem divitias & theſauros inferentem. Hoc quippe hoc verè eſt beneficum eſſe, tales animi Opes in totum Mortalium genus ſpargere. Has gazas qui aperuit, omnes Regum Perſarum ſuperavit. Nihil majus unquam homo homini conferre potuit Animi culturâ. Si hæc abſit, quid cæte-

ra conferunt: Quamobrem cùm in comperto apertoq́ue hæc omnia ſint,

Hoc agite ó Juvenes! circumſpicit & ſtimulat vos
Materiamq́; ſibi ducis indulgentia quærit.

Hoc inquam agite, hoc curate, ut quamprimum ad has Muſarum ſive divitias, ſive delitias accedatis. Dum deliberamus, dum cunctamur, Vita tranſcurrit. Atq; ſi ulla in re unquam Verè dictum eſt, *quod differtur auferri*, certè in hac, optimo jure dici poteſt. Sed cùm in certamen hoc quod Vobis variæ difficultates nectunt, Vel aliqua ignaviæ ſpecies forte fortunâ obtrudit, deſcenderitis, ad Literarum præſidium quô armandi aliquando eſtis, adhibendum Vobis putate reliquarum ſubſidium virtutū: quarum ſtudiô incenſos Volo Vos tantô, ut quemcunque ſiue in comuni Vita, ſiVe in Hiſtoriis videritis, audiVeritisq́; aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari, imò exprimere, ſtudeatis. Nihil Vobis continentiùs, nihil vigilantiùs, eſſe cupio. Patientiâ, manſuetudine, pietate, modeſtiâ, labori-

bus,

bus, ſtudiiq́; ardore, omnes qui uſpiam albo Literarum inſcripti ſunt, ſuperate. A pravorum ſceleratorumq́; congreſſu & colloquio ita abſtinete, ut ne propè quidem ad eos accedendum exiſtimetis. Cibo potuq́; quem natura exigit utimini, qui ingenium non obtundat, corpus & valetudinem ſuſtentet. Lectum ſtratūq́; tunc demum petite, cùm Vos neceſſarius ſomnus occupaverit: cui ita indulgete, ut exiſtimetis brevem hanc mortem, plurimum Vitæ actioniq́; ſubducere, Vires enervare, ingenium obfuſcare, morbos animi corporisq́; accerſere, deniq; torporem & ignaviam inducere. Has omnes illecebras quæſo fugite, & verâ eruditione muniti, ita vincendo contemnite, ut iis etiam imbecillitatem exprobretis.

Tu verò, ILLUSTRISSIME HEROS, cui Deus condendi Gymnaſii hujus mentem infudit, & fælicibus auſpiciis hodierno die jacere fundamenta conceſſit, hoc totum non ſine Deo perfice opus, & abſolve.

Tu

Tu bonis avibus primas harum colum-
narum (ſive lateritiæ ſive æneæ ſint, lite-
ris certè artibusq́ue inſculptæ) baſes po-
ſuiſti: Tu easdem ſtabili, Poſterisq; ve-
lut hæreditatem pulcherrimā tranſcri-
be & in tropheum erige. Tua Illuſtris
magnanimaq́ue proles hinc ſcientia-
rum primordia capiet,

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Seri inquam Nepotes, Pronepotesq; Ti-
bi olim debebunt, quòd eos Eccleſiæ &
Reipub. Generis pariter atq́; Literarum
prærogativâ & beneficio, produxeris.
Hinc prodibūt aliqvando clari & Illuſt-
res de Bnin heroes, qvi velut fulcra qvæ-
dam & ſuſtentacula, Regnum hoc Pa-
triamq́; fulciant; qui ſeſe totos uſibus
publicis impendant, qvi conſiliis & ar-
mis, uti veri Palladis Martisq́; alumni,
Rempublicam ſartam & tectam poſte-
ris tranſmittant; qvi deniq́; inſigne hoc
opus & inſtitutum in dies magis ac ma-
gis promoveant, atq́; nomen tuum æter-

nita

nitati inserant. Vivit enim, licet elapsis tot sæculis; Vivit hactenus, imò ipsi consecratur immortalitati, Carolus magnus Imperator, qui Orbi barbarie obsito, & tenebris inscitiæ ignorantiæque immerso, literarum lucem restituit. Vives & tu ILLUSTRISSIME PALATINE, qui in hoc Sarmatico Orbe easdem promoves, nutris, sustentas. Vivunt Illustres animæ & nomina Scipionum, Pompeiorum, Juliorum, Augustorum, Antoninorum, Alphonsorum, Imperatorum Regumq;, qui cum Rerum gestarum gloriâ excelluerint, non minus quoque hâc laude apud posteros innotescunt. Vives & Tu, magnanime Heros, in seram Posteritatem; nomenq; Tuum, Laudesq́; manebunt, quàm diu subsecutura sæcula Musas & Eruditionem fovebunt, æstimabuntq;. Qvod ut fælicius, citiusq; eveniat, Vota ad Deum Vertenda nuncupandaq; sunt: & cum ad has Vicinas aras & puluinaria loquamur; Tu ò Vera æternaq; Sapi-

entia invocanda nobis es. In te unico principio & fine orationis meæ finem facio. Tu pium hoc opus nomini & gloriæ Tuæ sacrum sustenta & promove. Tu mentem nobis ad salutaria appetenda, addiscenda, retinendaq; infunde. Tu conatus nostros promove. Tu Divis, Matre tuâ & Catharinâ Martyre Virginequé (quarum auspicijs harum Scholarum jacta sunt fundamenta) supplicantibus, adspira ò DEus, omnis Scientiæ & Sapientiæ fons & origo. Adspira inquam Votis nostris, & effice, ut quicunq; hinc Educationem & Disciplinam, tùm & Literarum Artiumq; copiam hauserint, ijs ad bonum Ecclesiæ, Patriæ, Amicorum, atq; propriæ Salutis, utantur.



